6

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA,

DE

VOMICA CEREBRI,

QUAM

in Almâ Eberhardinâ,

PRÆSIDE

D. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,

Facultatis Medicæ Decano Spectatissimo,

Publico examini submittit

ULRICUS ZELLER,

Herrenbergensis.

IN AUDITORIO MEDICO

Ad diem Septembris

Anno MDCCXI.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-CONRADI REISI.



Σ. Θ.



IN limine resolvendi thematis anatomico-practici non videtur necesse præfari multis, aut tueri rationibus institutum. Quis enim hoc reprobat, vel nos moratur? Non sanè *Helmontius*, quanquam anatomicis minus videatur æquus. Redarguit quidem tr. *Ign. act. reg.* §.32. curiositatem sui temporis superfluam, cum neglectu interim simplicium: Lacessit etiam anatomen practicam in tr. *Ign. hosp. morb.* & *hydr.* §.90. §.10. vel non tam ipsam, quàm dissectores cadaverum reprehendit, quòd ad excusandum modò peccata hoc faciant, non ad discendum & proficiendum in arte, contenti hæredibus imminentem in parte corruptionis notam ostendisse, quâ tanquam impossibilitatis clypeo tegant infida sua subsidia; cùm tamen alligatum parti excrementum opportunè debuissent discutere, si modò tempestivè fuerant accersiti. Transeat hæc errorum cribratio, quam æqui bonique consulere æquum est, non enim scripta fuit nec relicta, ut nos deterreat ab instituto, cujus specimina Ipse per suos libros passim, locis etiam citatis, exhibuit pulcra: Utut non tam principia Ejus, quàm occasiones & producta morborum subjici queant oculis. Judicium de eo quod fuit, vel non, in potestate artis vel artificis, formabit, quisquis attentè omnes historiarum

 cir-

circumſtantias conſideraverit. Quibus ergò miſſis, illud erat præmittendum, impulſu morborum mentis & corporis, quin triſti cadaverum intuitu, compelli nos cum precibus ad Autorem & Soterem noſtrum, ut conſilio & auxilio nos & nunc & olim ne deſtituat, ſed conſervet; nam via, veritas eſt & vita!



VOcatur Medicus ad Inſpectionem Defuncti, ſed antè quàm inſtituat eam inquirit in prægreſſa, & ex ore Parentis conſignat Hiſtoriam, quæ ſequitur: Puer annum agens decimum quartum, ſani quidem, minus tamen robuſti corporis, ſub finem autumni d. 20. Novembris, ſubtriſtis & moroſus, à meridie dejicitur, ſubitò expalleſcens, viſus non poſſe diducere maxillam, gemebundus & de dolore capitis ſuperi antici ad latus dextrum querulus. Die 25. Novembr. etiam à meridie, prima motuum convulſivorum præbet indicia in palpebris & manibus, qui abhinc erumpunt pleniùs, ingraveſcunt, & indies fortiores è particularibus fiunt univerſales, frequentes per quinque dies. Poſt priores paroxyſmos ſolebat aſſeverare æger, agnoviſſe ſe in ipſis adſtantes, & obſervaſſe motus & torturas ſui corporis, in ſpecie labiorum, viſus tamen aliquoties ſubdelirus. Quo diutius interdum emanebant paroxyſmi, ſive quò longius inter ipſos intervallum, eò ſequebatur gravior & longior. Interim extra ipſos non deſiit Ille conqueri de ſuâ cephalæâ, conſtanter in eodem loco deſignatâ. Sudabat ſimul usque largiter, ſed frigidè, ſolâ facie, nunquàm per corpus reliquum, ne quidem à datis lenibus ſudoriferis. Aliquoties etiam per iſtos dies vomuit, quod pomis voluit imputari, quippe quæ, non alia aſſumta, rejeciſſe videbatur, in-

certis

certis horis. Non destituebatur autem consilio medico, sed externis & internis cephalicis & antispasmodicis tractabatur cum curâ. Die 30. Nov. ad quintam vespertinam accessit paroxysmus omnium gravissimus, sed ultimus, qui duravit per horas quatuor, à quo summè debilis jacuit æger diu, priusquàm se recolligeret tantillum, & verbum profari potuerit. Sic autem extremè languido ipso, paroxysmi tamen convulsivi finem habuerunt, nec recurrerunt amplius ad mortem usque. Notandum verò, die 27. Novembr. primò fuisse observatum externè ad locum illum doloris tumorem quendam, non majorem mediocri nuce juglande, absque inflammatione viciniæ, & vel tandem auditum ex ægro, se nuper ad illud latus fuisse percussum. Emollitus emplastris ille tumor sectione fuit apertus demùm 4. Decembr. & effuso pure pauco, largiore autem cruore, parum subsedit; imò postquam per unum & alterum diem sub deligatione parum fudisset puris, brevi spontè iterum siccatus & occlusus fuit, atque ita imposito cerato betonicæ relictus. Interim varius & mutabilis æger, remittente interdum, sed recrudescente toties, dolore, spem præbebat meliorem, non tamen constantem: Rarò erigi poterat sine deliquiis, eorumve metu vel sensu. Pulsus debilis; Sitis nulla. Die 10. Dec. cùm absque motibus spasmodicis querelæ de dolore manerent eædem, novus jam accessit dolor cervicis, quæ altero mane parùm intumuit, sine rubore. Die 14. Dec. ad cœnam cibum petiit, insolito modo & more devoravit, lectum mutari, & ex hypocausto in cameram deportari voluit; quale quid hactenus non factum. Die 15. summo mane circa quintam, post noctem inquietam, subitò taciturnus, faciem hactenus pallidam exhibuit rubentem, pulsum fortiorem, cùm tamen jace-

ret quietus per diem, usque dum ad quintam veſpertinam anhelosè reſpirare inciperet. Hinc brevi pòſt, ſpiritu ter è profundis tracto, cum ſpumâ circa os, liveſcentibus labiis, exſpiravit.

Hujus ergò defuncti inſpectio die 17. Decembris phænomena exhibuit ſequentia: Caput magnum, mundum, dextro latere rubens magis & livens, tumensque genâ dextrâ, è narium maximè dextrâ cruorem ſtillans, cum livoribus ad & per dorſum latè protenſis, alia externè læſionis ſigna nulla exhibens, præterquam ſuperſtitem adhuc tumorem illum, parvæ caſtaneæ convexo planæ magnitudine, in apice molliuſculum, cætera duriorem, ſanæ cuti concolorem; Qui diſſectus dedit tantillum puris, & texturam cutis ad latitudinem dimidii floreni cruore interfuſo incraſſatam monſtravit. Sub hoc abſceſſu, lato pollice citra ſuturam coronalem verſus frontem dextri lateris, deſiderabatur portiuncula cranii, fragmentum inde quaſi annulare minimum ſeceſſiſſe oportuit, aderat enim tantilla foſſula in cranio, ex cujus margine fibrillæ rubellæ protendi & pericranio jungi videbantur. Nulla tamen ibi caries, nulla rima; nec penetravit illa læſio per laminam cranii interiorem, hanc enim manſiſſe integram clarè patuit detractâ ollâ lucique obversâ. De cætero nulla per cranium fractura, fisſura, depreſſio, aliusve ſigna læſionis; Illud autem notabile, ad ſuturas ſagittalem & lambdoideam cruorem largiter perrupiſſe, ut juxta tractum ipſarum exterior poſtica pars capitis ipſo fuerit omninò ſuffuſa. Nil tale extravaſatum ſub cranio, dura mater externo aſpectu illibata, ſinus autem habebat ſuos multo ſanguine turgidos, quem aperti nigrum fluidum tamen largiter fuderunt. Cùm juxta longitudinem falcis inciſione factâ elevandus

eſſet

eſſet anterior dexter meningis quadrans, & denudandus ille cerebri lobus, adhærebat illa dura meninx tenui, cerebroque, ibi præcisè, ubi extus ille tumor. Non ſucceſſit ergò ſeparatio meningum, quin erumpere inciperet è ſummo gutta puris: Quo benè cocto, tantillum luteo-virideſcente, non cruento, non fœtido, leniter expreſſo, ad unius & alterius cochlearis quantitatem, patuit in ipſo cerebri lobo inſignis cavitas, ſub limbo ejus deſuper extenuato deſcendens in ipſam ibi medullam, non tamen ad lateris usque ventriculum, clauſa undique per tunicam quaſi duplicem, rubellam unam, alteram mucoſam; cui vicina pars cerebri niſi quòd mollior aliquantum laudabilis. De cætero nihil ultra vel inflammatum vel ſuppuratum, ventriculi vacui, nec in ipſis nec ad baſin cerebri cruor vel ſerum. Hinc in medio ventre Cor ferè exſangue: Pulmones cruore turgidi, lividi. Tandem in abdomine Ventriculus magnus, flatu plenus; Nec aliter ſe habuére Inteſtina. Hepar pallidum, factis inciſionibus vix ſanguinem fudit. Plenior tamen adhuc in altero latere ſuo ſanguine Lien. Per reliquum corpus nihil ultrà ſingulare vel à ſtatu naturali adeò recedere viſum.

Duo ſunt præcipua, quæ per anatomen de hoc caſu innotuerunt, duplex abſceſſus, cruor & pus; Hæc revocari volunt ad ſuas cauſas, & conferri cum illis, quæ perpeſſus quondam fuit æger per tres in quartam ſeptimanas ſuæ miſeriæ. Qualis fortè in veſiculosâ pulmonum ſubſtantiâ latet vomica, ſ. pure concluſo ſcatens folliculus: Quale pus in medio glanduloſi hepatis interdum, quin aliis etiam viſceribus & partibus occultum, per ſectionem demùm deprehenditur, jam olim prolixè deſcriptum à *Cœl. Aureliano* morb. chron. l. 5. c. 10: Tale quid omninò nec

nec ullo modo diſſimile in ipſo quoque cerebro fuit obſervatum. Abſceſſus, non qualem *Arn. Bootius* d. aff. om. c. 1. à ſanguine in ſinubus longo & lateralibus ſtagnante in pus converſo oriundum proponit cauſam dolorum capitis; quanquam enim multum ad extrema momenti fuerit ſitum in ſinubus illis cruore oppletis, puris tamen ipſi fuerunt expertes. Nec altera, quam deſcribit Idem, c. 2. vomica hypocrania; quanquam enim hanc deducat à violentiâ externâ, & propriam ipſi cyſtin pure plenam aſſignet, quod benè convenit, locum tamen non eundem determinavit, ſed ſuam inter cranium & meningem ſecus oſſa petroſa obſervavit. Non ſtatim ſub cranio, ſed ulterius ſub utrâque meningum fuit illa noſtri, in ſummo quidem lobi dextri antici, demiſſa tamen in ipſam cerebri ſubſtantiam, atque adeò tertia laudato Autori ipſius cerebri dicta Vomica. Fuit, non Hydatis modò, ſive aqua, vel limpidior vel turbida, intra ſibi propriam membranam, qualis in brutis & hominibus obſervata legitur in Sepulchreto *Th. Boneti* à *Sculteto*, *Wepfero*, &c. in *Ephemeridibus Naturæ Curioſorum* D. 3. A. 1. O. 152. ſchol. à *Brunnero*; ſed pure vero & ſuo ſenſu bono turgens vomica: Non cum cerebro latius in putrilaginem corrupto, nec cum membranis latè rubentibus aut liventibus, ſed malum valdè concentratum intra parvi ſpatii compendium.

Talem in cerebro vomicam poſſe oriri à causâ internâ ab occulto principio, ſine notâ violentiâ externè illatâ capiti, ſuadet analogia conſimilium per reliquum corpus obſervatarum, quæ ſolum cerebrum vix ſinunt excipi, & confirmat obſervationum non una in laudatâ anatome practicâ *Boneti*, quibus ſiſtuntur abſceſſus cerebri,

bri, absque eo ut fiat ulla mentio prægreſſarum quarumcunque injuriarum; Quibus accedat *J. M. Lanciſii* d. mort. ſub. l. 1. c. 11. hydatis inſignis ſupra cerebrum à ſuppreſsâ podagrâ, à mariſcis identidem ſuppreſſis abſceſſus polypeus meningum & corticis cerebri. Eadem tamen fide docemur ibi, multas iſtiusmodi puris generationes in cerebro veniſſe à causâ externâ: Interdum leves quantumvis creditas capitis contuſiones eſſe lethiferas, ſaniem intra cuniculos colligi, ex morâ acerrimam & planè veneficam indolem nanciſci, lentas collectiones tandem repentè jugulare. Et à tali vi externâ deducendum venit noſtri casûs principium. Quamvis enim voluerit dubitari, utrum percuſſio non magna, inſtrumentum ipſius non adeò grave aut ſolidum, ligneum, poſſit præſumi ſufficiens pro læſione interiore & profundâ: Nihilominus ſani priùs pueri talis correptio, ipſius aſſertio, internus externo abſceſſus ita reſpondens, & ſimilium fatalium exemplorum hiſtoriæ in iſto ſepulcr. in *E. N. C.* item *Schenckii* Obſs. & *Bohnii* renunc. vuln. ac medic. for. obviæ, omninò & in hoc caſu jubent agnoſcere parva magnorum morborum principia; non ſolùm interna, ſed & externa. Salvo itaque cranio, nec depreſſionem nec fracturam paſſo, (exceptâ laminæ exterioris portiunculâ, quam abſiliiſſe arguebat foveola, quæque accedit teſtimoniis violentiæ externæ.) non ad feſtucam ſive fragmentum cranii membranæ impactum ortus fuit cerebri abſceſſus, quod præter quàm locis citatis etiam in apiar. *Harderi* o. 31. factum legitur: Sed ſub cranio integro & ſub durâ in ipſius cerebri piâ meninge veſtiti cortice vel gyro quodam ſolutionem continui quandam utut parvulam factam fuiſſe oportuit, cùm vi, quantâ vel qualicunque demùm, percuteretur Il-

 le,

le, fatali utique modo, nam alios percuſſiones multo violentiores impunè ſuſtinuiſſe vix dubium eſt.

Modum fiendi abſceſsûs ita quondam declaravit *Galenus*. In d. tot. morb. temp. c. 3. quadruplici modo ponit repleri partem ſanguinolentâ ſubſtantiâ, ſive propter concidentiam ſive propter impactionem obſtructionemque vaſorum, ſive ob circumſtantiam quandam molium, quæ meatus occupant; ſive denique abundantiam ſanguinis. Hæc tendunt ad extravaſationem portionis quantitate majore vel minore, factam in hoc caſu ſub vi externâ per rupturam tenuis vaſculi, undè profuſi & ſtagnantis imminet mutatio: prout Ille quidem d. inæqual. intemp. c. 3. fluxionem calidam in muſculos fieri voluit, dum ſanguis non amplius ſuis vaſculis contineri poteſt, ſed partim per ora partim per tunicas colatus foràs transmittitur, & ſpatia intermedia occupat, implet. Hæc autem fluxio, vel vincit, vel vincitur, pergit *Galenus*. Illud fit ad corruptionem particulæ affectæ, hoc per modum vel diſcuſſionis, quod eſſet maximè optandum, vel concoctionis, quæ duo importat, puris ſc. generationem & ejus in aliquod ſpatium abſceſſionem. Item diff. febr. l. 1. c. 6: Illud fit ſuperatâ naturâ, hoc autem naturâ ſuperante. Hujus in abſceſſu & ſimilibus collectioni tumoribus ſpecimen proponit pus ritè coctum, quod hinc porrò comparat cum urinæ ſedimento in febribus quæ ex putredine accendantur, nempe pus album & craſſum, & quaquaverſum ſibi ſimile, lene autem tangenti & minimè fœtidum, cum ſedimento urinarum albo, leni, æquali, & minimè fœtido, additque: Talis quidem putredo non ſimpliciter putredo exiſtit, ſed aliquid in ſe continet coctionis; in comparatione ſcil. ad putrefactionem naturæ ſuperatæ, prout contuſio vel levis inſen-

ſibiliter

ſibiliter diſcutitur, vel gravior ſuppuratur, aut graviſſima gangræna corripitur. *Dolæi* Encycl. Chirurg. l.1. c.3.

Prodit ſeſe illa naturæ occupatio per noſtrum caſum effectu non uno. Ante omnia ſuppuratio fuit facta quaſi ad requiſitum *aph.* 44. 45. ſ. 4. non enim qualis amurca ex tunicâ quâ continebatur profluxit pus illud, ſed erat in ſe adhuc ſatis bonum; modò cætera fuiſſent paria. Communis at inſignis tamen eſt hæc mutatio ſpecifica ſanguinis, aut partium ipſius chyloſarum, gelatinoſarum, nutritiarum, ſiquidem has potius determinare placeat puris materiam. Deindè, tunica illa mucoſa & rubella concludens & defendens ut cunque ab injuriâ cerebrum videtur alterum ſolicitudinis naturæ ſpecimen, quo novam novo hoſpiti texturam, telam, domum, nidum quaſi condidit, compoſuit, quin hoſti oppoſuit. Sic hydatis illa *Brunnero* fuit indicio, humores in ipſo cerebro fluentes epidermide poſſe obduci; Ita *Bootius* vomicæ hypocraniæ originem ſibi concipit: Sanguini profuſo ſolers natura tenuia ex ipſo fila deproperans, ac undique retis inſtar circumtendens, iisque alia ſuper aliis interſerens, ac obliquis quoque transverſisque fibris omnia inter ſe firmiter atque arctè ligans, eodem artificio quo membranæ in utero ſemini genitali ſtatim à conceptu circumdantur, parvo temporis ſpatio firmum detexit folliculum, intra quem concluſus cruor paulatim à ſtatu ſuo demutatur, atque in pus excoquitur. Tranſeat illud membranarum fœtûs exemplum, quod non omnes probaverint: Hoc modò addendum, non fuiſſe tamen hîc folliculum à cerebro ita ſeparabilem, uti atheroma quaſi ovum teſtâ carens ſub cute eximi poteſt & ſolet integrum. Actuoſam denique naturam declarat quoque membranarum coñexio, turgidioris lobi per ſummitatem modò vomicæ

 cum

cum durâ meninge jam obfirmata cohæſio, ut ſine puris eruptione ſeparari à ſubjectâ tenui non potuerit. Ita ſæpius pulmo alicubi pleuræ, hepar vel & ipſa inteſtina peritonæo adhæſerunt: bono interdum fato, quod colligas ex obſerv. 50. *Ruyſchii*, & *Plateri* ſub finem libri tertii. Quo in cadavere viſo effectu tanquam ſigno arguitur ex cauſis etiam prægreſſa quondam ibi inflammatarum partium ſuppuratio, conſolidatio, & coaleſcentia. Inflammationem non magnam in noſtro caſu fuiſſe oportuit, quæ febrem clariorem, fortiorem tuliſſet, cum deliriis; occulta, parva, levis colligitur fuiſſe per abſentiam horum ſymptomatum & per fidem inſpectionis præmiſſæ. Externum autem abſceſſum quoque eadem vis & ſeceſſus oſſeæ portiunculæ intulerat, qui ſerò quidem cognitus, citò nimis iterum clauſus, cùm larga exteriorum ſuppuratio conducat periclitantibus interioribus, hoc tamen in caſu parum importaſſe videtur, quandoquidem & viciniam inflamationis & calvariam cariei expertem reliquit; utut diu præter morem protractus fuerit, nec diſcuſſus; an etiam hâc ex parte propter occupationem internam magis neglectus? ſed ultimo cruoris niſu iterum plenior.

Vomica illa manſit clauſa ad usque mortem. Aliàs vario fato rumpitur. Quantò magis de eo quod intra cranium fit, verum eſt illud *Jonſtoni* Med. Pract. l. 9. t. 4. c. 3. de vomicis intra pectus pulmonum: Ex his æger non convaleſcit, niſi ſuppuratio citò fiat, facta citò erumpat, ad ſuperiora vergat, & per tuſſim ejiciatur, totum pus evacuetur, venter, i. e. cavitas illa, in quâ pus continebatur, perfectè agglutinetur. Inter illas muſculorum & viſcerum abſceſſiones, quarum fata d. inæq. intemp. prout in partes majoris minorisve momenti fiunt ibi proſequitur, *Galenus* earum quoque non obliviſcitur, quæ

circa

circa cerebrum existunt; bona est, scribit, quæ in priores ejus ventriculos abscedit, mala, quæ sub involucra ejus, item quæ in posticum ejus ventrem se recipit. Sive de primâ sede abscessûs, sive de effuso pure illa sumas, periculosæ plenum opus erit aleæ. Nisi fato, magis optando quàm sperando, ruptâ vomicâ, contingat felix puri exitus aut resorptio, cedet illa diffusio in novum cerebri & membranarum præjudicium. Quis tamen non stupeat, *Bootii* ægrum, pilâ niveâ ad latus dolens capitis percussum, fuso per aures pure, fuisse liberatum; siquidem illud venit ab intimis. Quia ut dictum nostri thematis vomica rupturam non fuit experta, quare non est, quòd prosequamur istiusmodi per nares & aures solutos cerebri abscessus. Videsis præter citatos Autores Ill. N. C. Præs. *Schræckium* in schol. o. 10. A. 6. D. 2. Indicari tamen etiam meretur & legi cum commentario *Vallesii* historia Virginis recensita ab *Hippocrate* in epidem. l. 5. §. 47. cui ab amicâ ludente latâ manu percussæ secundum synciput, statim vertiginosæ, indè febricitanti, dolenti, (& rubra circa faciem erat) die septimâ per aurem dextram pus exiit, fœtidum, subrubrum, plus cyatho; & videbatur melius habere, & sublevata est. Sed intensâ rursum febri, cum sopore, aphoniâ, convulsione, dyspnoeâ, oculi stupore correpta, nonâ fuit mortua. Fatum triste, simile, acutius, abscessûs potius cruenti, inflammatorii, quàm descriptæ hactenus vomicæ.

Quod ita malè cedit, vel Natura non præstat, utrum supplere poterit Ars, procurando puri exitum? An trepani ope perveniri ad subjectum locum affectum, & urgente cerebro extrudi pus è suo carcere. Pro eo, quod super duram sub cranio fluit aut jacet cruoris aut puris evocando adæquatum videtur in illâ operatione reme-

 dium.

dium. At quid ſperandum de eo, quod non ibi ſed infrà, ſub integrâ adhuc membranâ latet; ſi vel maximè contingat, quod non æquè certum, præcisè ad ſummum vomicæ perforari cranium. Suppetit nobis aliundè hiſtoria talis, fide digna, viri ſexagenarii, qui dolore ſyncipitis dextri conſtanter ſic vexatus, ut caput attollere aut erectum tenere non potuerit, cubans tamen aliquanto minus malè ſe habuerit, nec oculos movere potis, trepanationem utcunque feliciter ſuſtinuiſſe viſus, quippe oculos iterum attollere poterat unâ poſt operationem horâ, & edebat parum levatus, ſub curatione chirurgicâ diligenti, tertio tamen die dicitur obiiſſe apoplecticus. Quemadmodùm per foramen cranii nullus nec cruoris nec puris fuerat factus effluxus, comparente per illud membranâ diſtentâ & turgidâ, ſic in cadavere directè infra illud foramen repertum fuit pus, etiam in ipsâ cerebri ſubſtantiâ, quantitate magni cochlearis. Quibus ita ſe habentibus, quid obſtet, quo minus repetamus verba *Volch. Coiteri* ex obſ. anat. & chir: Periculoſiora penes me ſunt cranii vulnera, in quibus integrâ durâ, cerebrum læſum eſt, vel ubi ſub durâ membranâ læsa vena vel arteria (quod levi de causâ contingit) ſanguinem effudit, quàm cum membrana ſimul ſit vulnerata. Siquidem horum plures atq; illorum vidi curatos. Nam membrana dura ob ſuam denſitatem atque craſſitiem nec ſanguinem emiſſum, nec pus ſub eâ generatum emittere poteſt. Hâc de causâ niſi reprehenſionem & calumnias metuerem, in gravibus & periculoſis capitis vulneribus, ubi vel contuſionis cerebri vel perrupti vaſis ſub membranâ manifeſta haberem ſigna, auderem hanc duram cerebri membranam perſcindere. Audaciores in hoc ſunt recentiores, quippe faciles in præcipiendâ inciſione; ſed quo cum ſucceſſu, hiſto-

riis

riis curatarum ita vomicarum foret demonſtrandum.

Quàm præſtaret ergò præcavere talem vomicam in fieri, modò ſemper poſſibile ſit diſſipari & reſorberi, quod effunditur, priusquàm fiat illa puris generatio & collectio. Nonnihil ſperare jubet analogia quorundã ex apoplecticis evadentium: Cavernulas & cicatrices calloſas in cerebro ante quinq; annos apoplecticæ vidit *Brunnerus*, hinc factas ibi ſolutiones continui conſolidari poſſe interdum & digeri ſanguinem extravaſatum probavit, in *E. N. C.* 3. 1. 154. Manet tamen vomica malum anceps, tam ſemioticè quàm therapevticè: Ubi & cauſa videtur non tanti, & effectus veniunt ſerò & dubiè. Caveant medici prædicere, ſe deprehenſuros aliquid in capite eorum, qui morbo cerebri interierint. Neſcio, quî fiat, ut morborum cerebri & notitia & curatio ſit difficilima. Sic cum *Ballonio Bonetus* & *Lanciſius*. Quo magis opus eſt, talium caſuum (quò plurium, eò melius) obſervari & colligi phænomena, pro eruendâ & dignoſcendâ latente vomicâ. Non minus abſentia quorundam, quàm præſentia aliorum, phænomenorum rem declarabit. Quàm occultè procedit vomica pulmonis? Omnes aliarum partium ſuppurationes manifeſtantur per rigorem & febrim ſupervenientem; ſola pulmonum ſuppuratio, id eſt vomica eorundem, clanculum & ſine prædictis ſignis ſupervenit. *Bagliv.* Prax. med. l. 1. c. 13. Confer. quæ *Heurnius* ad aph. 41. ſ. 6: Quibus pus in corpore nullam de ſe notam præbet, ob ſui craſſitudinem, aut loci, non ſe prodit. Generalia igitur contuſionum & concuſſionum capitis præſidia & citò & diligenter uſurpanda erunt, nunquam illæ parvi pendendæ, applicandum potius proverbium, de ſuperfluis non nocentibus. Quæ ſpecialius in caſu ruptorum ſub cranio integro vaſculorum tentari poſſint & debeant, in compendio

dio exhibet *H. Boerhaven* aph. 279. & sqq. latius deducta *Dolæus* in laud. encycl. chir. quibus jung. indicationes congestionis & suppurationis occultæ, lentæ, apud *Lancis.* l. 1. c. 23. & chirurgicarum observ. ac curationum passim Scriptores benè multos. Quàm facilè autem fit, talia negligi, dum in principio læsionem tanti æger cum suis non æstimat, & meliora deum sedet omina poscens.

Inventa fuit illa vomica in cadavere adolescentis, dolorem capitis certo loco fixum perpessi ad quartam denique septimanam funestum. Hoc est, quod legitur in sep. *Boneti* ab obs. 40. ad 60. modis omninò multis & variis factum: etiam cum dolore capitis parte quâ non fuit abscessus, o. 50. Consimiles historiæ accedunt hinc inde, e. g. ex *Journal d. savans* ann. 97. p. 549. *E. N. C.* 2. 3. o. 74. & 3. 3. o. 166. ubi ab apoplexiâ liberatus, sed hemicraniâ correptus, post mortem in parte affectâ exhibuit abscessum durâ involutum membranâ. Sic præter cranii cariem & exostosin, præter cerebri cruda quasi tubercula, quin lapides & vermes, atque similia rara mala, inter causas cephalææ acutioris, constantioris, intimioris fixas & occultas etiam est vomica; ut priores tamen per se ad chronicam passionem videantur se extendere longius. Nihilominus admirationi est, quamdiu etiam passi fuerint, quorum abscessus cerebri ad ovi columbini, anserini magnitudinem, cum tantâ puris acrimoniâ, ut cranium corroserit, leguntur locis modò citatis. Equidem actus ille naturæ circa solutionem continui occupatus non fit absque intensione partis & viciniæ; tumor augmenta sumens & turgidior cerebri limbus jugem fibrillis distractionem ac divulsionem intentat. An & puris acrimonia hîc rodendo irritavit? quà pertigit ad succingentem anfractus piam meningem. Mucosus enim folliculus & ce-

rebrum

rebrum ipſum exquiſito ſenſu doluiſſe non videtur. *Helmontii* archeus vel ſpiritus inſitus naturalem habet averſionem ab objecto dolente, undè dolor perpetim quaſi comitem habet ſui membri criſpationem. Ubi autem ſtabilis eſt in parte dolor, prout in apoſtemate, ibi ex ſolâ merâque indignatione æſtuat ille. d. lith. c. 9. Etenim tumor & dolor eſt à ſpiritu cauſaliter, ab infixâ ſpinâ, verâ vel metaphoricâ, occaſionaliter; in pus autem degenerat ſextæ digeſtionis mucilago ſive proximum ſolidarum alimentũ. *Wepferus* apopl. hiſt. XVI. cùm in cadavere juvenis duram matrem tenui meningi fere dimidii dahleri amplitudine præter naturam intermediis fibris validiſſimis accretam obſervaſſet, ob hanc, ſcripſit, concretionem, ſævam procul dubio diu cephalalgiam ſuſtinuit. Et *Willis*. d. anat. cer. c. 9: defunctorum capita, qui dum in vivis agerent cephalalgiæ miſerrimæ erant obnoxii, aliquoties aperui, in quibus juxta ſinum longitudinalem, ubi dolorum ſedes erat, interior meninx exteriori per aliquod ſpatium accreverat; hoc enim ipſo fuiſſe poſitum impedimentum circulationi ſanguinis.

Fuit dolor cum motibus convulſivis. Quod fortè ratio minus miretur, quàm dolorem iſtiusmodi ſine ſpaſmo, & ſpaſmum viciſſim ſine dolore. Fundamentum iſtorum motuum p. n. concuſſoriorum eſt in communione & viciniâ membranarũ cerebri, in hujus tanquam partis maximè nobilis paſſione & periculo: Præſtò eſt objectum peregrinum, inſolitum, noxium; Quidnî fieret occaſio turbarum, commotionum & conatuum excuſſoriorum. Fruſtrà tamen, quæcunque vel ratio ſuaſerit, aut vis extorſerit. Niſus ille vibratorius ſyſtematis nervoſi & convulſæ muſculoſarum fibrarum copiæ gravius modò perturbarunt afflictam jam dum œconomiam corporis. Durarunt autem motus convulſivi per quinque modò dies,

 non

non redierunt per quindecim posteriores vitæ dies, præsente sive mansisse visâ causâ occasionali. Utrum ex tribus Hippocraticis dabit rationem: continens an contentum, vel impetum faciens? Hoc post conatus vanos, malos, inprimis fortem ultimum, an destitit ab actibus supervacaneis? Aut, fuitné minus sollicitatum ab illo pure, minus corrosivo, ac aliorum historiæ docent, concluso intra illum spissiorem folliculum mucosum, ut nec plenâ libertate versus membranas nec ad principia nervorum pertingeret. Licetne applicare *aph.* 47. s. 2: Dum pus fit, dolores & febres (hîc spasmi) accidunt magis, quàm confecto. Phænomenon autem istud, de corpore sc. per omnes partes variè læso & graviter dolente, nec convulso tamen, exemplis multis & miris illustratum, videsis à *B. Parente Præsidis* in disp. de epilepsiæ frequentiâ, & à *Wepfero* in cic. aq. à pag. 100. ad 106. ubi ad diversa objecta varius, utut lacessitus, non semper tamen tumultuabundus, Nervosi Generis Præses ex professo. Sc. jugiter obversans objectum adversum & noxium non æquè tamen jugi motu observatur impetere, sed sæpè agi & agere per intervalla. In hoc casu, eò insurrexit fortius post horas, quò diutius quieverat. Amplum cerebri vulnus sub directione *Exc. Dn. D. Zelleri*, Agnati & Patroni summè venerandi, curatum, non solebat ferre spasmorum prodromos, nisi cùm largiter suppurans non frequenter deligabatur, illi enim toties emisso tempestivè pure præcaveri poterant. *Baglivus* d. fibr. motr. animadv. 3. à vulneribus capitis interdum substantiam cerebri putridam sanieque plenam observavit, cùm tamen æger nulla pateretur accidentia lethargi, delirii, convulsionum. Rationem subjungit paucis: Meninges n. minimè fuerant graviter tentatæ. Secus, ubi fuerint inflamatæ, sanie interspersæ. Miratur in *E. N. C.* 3. 3. o. 168. *Schelhammerus*, in iisdem 3. 4. o. 54. *S.*

Grassius

Graſſius, magnum capitis vulnus, graviſſimam cerebri læſionem, ſine gravibus ſymptomatibus. *Diemerbrœck.* anat. l. 3. c. 5. & 10. proponit bina cerebri apoſtemata benè ampliora, in argumentum dubiæ prorſus in cerebro ſedis facultatum animæ, quandoquidem potiores harum operationes perſtiterunt in ſalvo, dum adeò recederet à ſuo ſtatu naturali cerebrum. Ut in comparatione talium de minore & clausâ vomicâ non ſit, quòd plura dicamus.

Interim ſudor, nunquam corporis, ſed faciei ſolius, multus, at frigidus. Qualis paſſim malè audit, e. g. *aph.* 4. ſ. 8. 37. 42. ſ. 4. quibus adde intermedium 38. ſ. 4: Quâ corporis parte ſudor, ibi morbus. Quem commentator *Heurnius* facultatis infirmitati vel crudæ materiæ contumaciæ imputat. Excerpſit plures ex ſcriptis *Coi Bicaiſius* in manuali, qui huc tendunt: Sudores frigidos, tenues, qui milii formam referunt, circa caput duntaxat & cervicem, eſſe malos, denunciare diuturnitatem vel periculum. Doluit ergò cum ſudore frigido & pallore caput, quia centrum motuum erat in ſuperioribus & interioribus: Deliquia verò, hîc non ab eruptione tuberculi ex *aph.* 8. ſ. 7. ſed à ſitu erecto, modumne ſyncopticum an convulſiones deſignant internas? Huc ſpectant duo aphoriſmi, unus *Valleſianus Petri à Caſtro* l. 5. n. 355: Sudor his fieri ſolet, qui convelluntur ob anxietatem, quam difficilis motus muſculorum facit; alter *Sanctorianus M. Liſteri* ſ. 1. nr. 22: Frigidis ſudoribus, ubi vis cordis languet, perſpiratio fit viſibilis, ſcil. ex reſolutione ductuum excretoriorum.

Venit quinto ante obitum die novus cervicis dolor & tumor. Hic in capite vulneratis aliàs obſervatur & prætenditur à *Marchetto* ſignum delabentis materiæ ad ventrem medium & infimum, undè pulmonum & hepatis oriundi abſceſſus. *Bohn.* renunc. vuln. p. 117. *Lancis.* l. 1. c. 20. Non laboravit hepar vel pulmo abſceſſu, ſed hic cruore tumidus & lividus movit admirationem, quî fuerit intra breve tempus ita oppletus, vel ſi citius id factum, quòd difficultatem ſpirandi majorem non tulerit prius, quàm ad ultimam veſperam. Hinc etiam non fuit hîc metaſtaſis, ſed epigeneſis. Juxta *Lindanum* ex. ſel. 6. §. 24. 7. §. 13. Vomicæ manenti, quin ſpatium requirendo & ocupando majus urgenti & prementi, necdum tamen ſimpliciter funeſtæ, acceſſit alter hoſtis & morbus, cruoris infarctus. Quæ occaſio acceſſionis? Cùm non conſtet de causâ ex-

ternâ. Sive, quæ neceſſitas ſuperveniendi, hoc eſt, pellendi vel detinendi cruoris? Niſi adverſus obſtaculum, offendiculum, nuper ſpaſmorum jam multi ſanguinis motu, viſum fuit eſſe pugnandum. In aph. nov. *J. Sponii* ſ. 3. nr. 18. cervicis dolores, oculi prærubri, hæmorrhagiam narium prænunciant. Id namque ſanguinis impetum ad ſuperiora teſtatur. Confirmatus fuit ille aphoriſmus demum per mortem. Interim conatus hic alter & alius evacuatorius, excuſſorius, quem prodidit etiam rubens vultus, & fortior pulſus, pariter ceſſit in vanum, imò in pejus. Pallens enim ſubtus jecur, latus deſuper capitis dextrum à morte tumidius, livens, ſtillans, κατ' ἔξιν, accumulati ſanguinis copiam & vim arguunt tantam, ut cruentaret ſuturas. Per quas & nares quia tenerior ætas conceſſit exitum, intra cerebrum non comparuit extravaſatus. Sic dolor ille cervicis circa terminum morborum ſimpliciter acutorum, ſcil. diem vigeſimum, fuit novæ mutationis principium, intra quartam tamen adhuc ſeptimanam fataliter terminandæ, modo non tam purulento quàm cruento. Sic mors non immediatè à vomicâ, ſed à cruore in caput & pulmones coacto, detento. Ibi fuerunt congeſtiones novæ, cor autem deprehendebatur ferè vacuum. Spuma ante os & livores dorſi utrique reſpondent infarctui. Equidem poſt ultimam illam perturbationem mentis, inter pus & cruorem quaſi conſtitutæ, ſive impreſſionibus utriusque ſubjectæ, quam prodidit vorare illud & migrare, poſt ultimam noctis inquietudinem obticeſcens æger jacuiſſe videtur modo quodam attonito per diem apoplectico ſimilis: Nec vultus, nec pulſus repugnant. Donec ſerus veſper ferret mutationum ultimam, finem miſeriæ imponeret. Fuerunt utique exacerbationum tempora per morbum pomeridiana, veſpertina; Sive quòd ſoleant aliàs etiam eſſe hæc ſuppuratorum, ſive quòd declinans cum anni veſperâ in ſuis per dierum veſperas motibus reſponderit natura. Certè in omnibus ſuppurationibus ad noctem labores, dixit Hipp. l. 5. epid. §. 73. Et hîc ad finem quoq; declinat Diſputatio, triſte infauſtorum caſuum ſpecimen, quorum multitudini & varietati obnoxia brevis mortalium ætas vel in crudâ interdum pueritiâ præpropero abripitur fato. Quo magis æquum eſt & neceſſe, ut commendemus jugiter fragile corpuſculum ad usque ſuum terminum divinæ cuſtodiæ, demus & dicamus, quòd adhuc valemus, Deo gratias & gloriam!

(✱)